

ricordes viri horum nihil ad iniuriam revocantes, prospiciebant illud solum quod in animo intenderant, si quo pacto eruere possent agnum de dentibus luporum; quod et factum est per patientiam. Nam cum frequenter hoc
70 facerent, aliquando quasi ex amentia quadam in semetipsum regressus adulescens liberalitatis eorum et indulgentiae erubuit perseverentiam. Et coepit primo ut eos eminus occurrentes sibi vidisset, equo protinus desilire et inclinato in terram capite, tacitus, quae ab illis diceren-
75 tur audire ac processu temporis maiore circa eos uti reverentia. Et ita paulatim per Dei gratiam et sermonis eorum mansuetudinem revocatus, cunctisque illis mortis retibus quibus innexus fuerat evolutus, rursus ad solitudinem, rursus ad montes et exercitia prioris philosophiae
80 repedavit et in tantum nunc effulsit ut longe supergressus sit priora illa quae in admirationem fuerant posterioribus studiis. Didicit enim et experimentis adsecutus est, quae fuerit lapsus sui occasio ac totius deceptionis inlecebra. Illa procul dubio quod non secundum manda-
85 tum Evangelii, prius omnia quae habuit vendidit et indigentibus erogavit, ut thesaurum suum de terris transferret ad caelum et ibi esset cor suum ubi erat thesaurus suus, sed quia habuit adhuc aliquid in terris, regressum est et cor eius ad terram. Et ideo ubi resipuit, continuo
90 omnia quae habuit expendit in pauperes ut et semetipsum a sollicitudine liberaret et in posterum sibi inlecebram deceptionis abscideret; atque ita nunc caelestem viam incedens ad omnem virtutum perfectionem cautior ex emendatione pervenit.